





10

ORDINIS IVRIDICI

1799 6

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

II. T.

DECANVS

D. GEORGIVS STEPHANVS  
WIESANDIVS

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE  
A CONSILIIS SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS  
DECRETALIVM PROFESSOR PVBLICVS FACVLTATIS  
IVRIDICAE ORDINARIVS CONSISTORII ECCLESIA-  
STICI DIRECTOR CVRIAE PROVINCIALIS ET  
SCABINATVS ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO SALVTEM.





Inter ea, quae iudex praestare debet, officia praecipuum locum tenet nobile veritatis investigandae studium. Ipsa quidem iustitia, cuius finis eo respicit, ut cuique ius suum tribuatur, cum veritate tam arcto cohaeret vinculo, ut, hac quidem sublata, ista haud maneat salva.<sup>a)</sup> Quodsi iudex in vero indagando debitam diligentiam omiserit, vel falsis testimoniis fuerit deceptus, in errores incidet periculosos, neque iustum statuere poterit iudicium. Apud Romanos olim eum morem viginisse, ut iudices prius, quam iurassent, sese cum veritate et legum observatione iudicium esse disposituros, sententiam haud tulerint, ex l. 14. C. de iudic. satis perspicuum est. Laude quoque digna est Imperatoris Iustiniani sanctio in l. 15. C. de sentent. et interloc. qua iudices veritatem et legum et iustitiae vestigia sequi iubentur. Quamquam vero iudex iuris atque aequitatis studiosus omnem dabit operam, ut sollicita cura veritatem exploret; facile tamen accidere solet, ut in causa decidenda anceps dubiusque haereat. Saepius scilicet obveniunt causae arduae, magnis difficultatibus implicatae, in quibus nec adsunt testes satis certi, nec instrumenta satis liquida. Est quidem iudicis officium in vero indagando potissimum sequi probationis fidem;<sup>b)</sup> sed, si probatio non fuerit satis perfecta, plerumque litis finiendae causa, in subsidium iusiurandum adhiberi solet. Vsum huius remedii probasse olim gentes Germanicas, si aliae probationes deficerent, vel ex *Leg. Wisigothor. Lib. 2. Tit. 1, 22* apparet, ubi haec traduntur: *iudex ut bene causam cognoscat, primum testes interroget;*

A 2

deinde

- a) Francisc. Connanus in *Commentar. iur. civil. Libr. 1. cap. 3* observat, scriptores Latines interdum verum pro iusto et veritatem pro iustitia posuisse. Conferendus hic erit Caspar. Zieglerus in *Dicaestic. Conclus. 35. §. 34. seqq.*
- b) L. 6. §. 1. D. de offic. praef.



deinde scripturas inquirat, ut veritas possit certius inveniri, ne ad sacramentum facile veniatur. Hoc enim insitiae potius indagatio vera commendat, ut scripturae ex omnibus intercurrent et iurandi necessitas sese omnino suspendat. In his vero causis iuramenta praesentur, in quibus nullam scripturam vel probationem, seu certa indicia veritatis discussio iudicantis invenerit. In quibus tamen causis et a quo iuramentum detur, pro sola investigatione insitiae, in iudicis potestate consistat.<sup>c)</sup> Sed haec ita se habent in causis civilibus. Num vero in causis criminalibus iudici similis potestas tribuenda sit, inter interpretes iuris non convenit. Purgatorium plerumque iniungi solet reo, qui mala suspitione premitur, quod quidem iuri Germanico convenit.<sup>d)</sup> Insiurandum quidem suppletorium accusatori in processu accusatorio, ut contra reum crimen probet, non imponitur.<sup>e)</sup> Delicta leviora, quae duntaxat multa vel carcerem coercentur, in terris Saxonis,<sup>f)</sup> singulari processus genere, qui vulgo *Rügen-Proceß* dicitur, tractari solent. Dabatur

- c) Delationem iurisiurandi esse remedium probandi subsidiarium, etiam in iure pontificio statuitur. C. 2. X. de probat. Haec sententia in foris ubivis obtinet.
- d) Confer Viri humanissimi Carol. Godofred. Theodor. Winekler. *differtat. de usu et effect. iurisiurand. purgator.* quam, me praefide, anno 1796 defendit, §. 2.
- e) Illud tamen reo ad probandam exceptionem proficere, statuit Boehmerus in *Mediar. ad Constitut. crim. Carol. Art. 141.* §. 2.
- f) Iam iure Romano apparitores et irenarchi levia delicta iudici denunciare solebant, quibus vero onus inscriptionis et subscriptionis, quod ab accusatoribus erat subeundum, haud imponebatur. L. 7. C. de accusat. Erat quoque permixtum Proconsuli crimina leviora de plano discutere, uti ex l. 6. D. de accusat. intelligitur. Nec iuri pontificio delictorum denunciationes erant incognitae. C. 31. X. de simon. Sed eae non tam poenam publicam, quam potius correctionem fraternam sibi habebant propositam, uti apparet ex C. 16. X. de accusat. In Germania quidem antiquitus ita fuit moribus receptum, ut magistratus, cui leviora delicta denunciata, ea breviter exeret. Confer Hermann. Adolph. Meindeslii *differt. de indic. centenar.* p. 274 seqq. Boehmerus in *iur. ecclies. Protestant. Libr. 2. Tit. 20.* §. 18. putat, denunciatores in locum accusatoris fuisse. Equidem cum Carpzovio facio, qui in *Process. iur. in for. Saxon. Tit. 1.*

batur vero denunciante, si alia probatio non suppeteret, potestas factam iudici denunciationem iureiurando confirmandi. Inde vero mala oriebatur suspicio, quam reus iureiurando purgatorio elidere tenebatur. Hoc vero ius correxit Sanctio criminalis Saxonica anno 1785 promulgata, qua modus melior procedendi in causis criminalibus fuit praescriptus. Haec vero §. 19 praecipit, *dass gegen einander laufende Eyde änßerst möglichst vermieden werden sollen.* Ipsa legis aequitas me movet, ut in praesenti de officio iudicis Saxonici cavendi iuramenta sibi contraria, breviter exponam. In hoc vero argumento excutiendo ita versabor, ut primum de iuramentis sibi contrariis in genere quaedam praemittam; deinde, quo modo ea cavenda sit, ostendam.

Iuramenta vero contraria sic sunt comparata, ut unum cum altero pugnet. Id quidem tunc accidit, si alter id, quod unus affirmat, neget, uterque vero eius, quod asserit, fidem iureiurando confirmet. Ne quis vero iudicem, qui iuramenta decernit sibi repugnantia, violatae iustitiae reum postulet, non erit a proposito. alienum asserre quaedam argumenta, quae eiusmodi criminationem diluunt. Ipsae leges, quas iudicem in decernendo sequi oportet, ei interdum potestatem concedunt statuendi vel admittendi iuramenta sibi haud consentanea. Ita *Recess. Imper. noviss.* §. 41. ei, cui onus probandi incumbit, permittit, ut certas positiones ad eliciendam confessionem adversarii et ut ab onere probandi levetur, iudici offerre queat. Quomodo eae formandae sint, copiosius ostendit Stryckius in *Vsu modern. Pandect. Libr. 11. Tit. 1. §. 48 seqq.* Qui eas proponit, assertorum veritatem iuramento dandorum corroborat. Nihil tamen se-

A 3

cuius

*Tit. 1. art. 7, 67 seqq.* statuit, in terris Saxonis longo usu processum denunciatorum esse introductum, et simul provocat ad Rescriptum scabini Lipsiensibus insinuat, quo de delictis levioribus summaria cognitio fuit comprobata. Superfunt adhuc in Saxonia manifesta praei moris vestigia in multis pagis, in quibus statim quidem temporibus iudicia habentur sollempnia, in quibus subditi omnia delicta indicare tenentur, quorum cognitio brevi via expediri solet. Diversas eorum species recenset Gustav. Henric. Mylius in *disser. de iudic. denunciar. Saxon.* §. 8.



cius reo, qui antea iuramentum respondendorum praestitit, facultas easdem negandi haud denegatur.<sup>g)</sup> Aliud exemplum, quod ad causas criminales spectat, hic subiungam. In *Recess. Imper. Trevirens. et Colon.* de anno 1512 *Tit. von Gottes-Lästerern* §. und nachdem tantum est, ut is, qui alterum gravius criminis accusat, delationem iudici factam iureiurando confirmet, quod eum effectum producit, ut reus iuramento purgatorio malam suspicionem elidere debeat.<sup>h)</sup> Secundum *Ordinat. polit. Saxon. de 1661. Tit. 5. §. 6.* in causis iniuriarum brevi via procedendum, atque reus, si denunciatio testibus fuerit probata, erit condemnandus. Cum vero antea processus denunciatorius nondum certis constaret regulis, sed unice ab arbitrio iudicis penderet, ei quidem certa forma obtigit per *Mandatum de duellis*, anno 1712 promulgatum, quo §. 22 cautum est, ut denunciatus statim media probandi indicare, ideoque documenta producere vel testes nominare debeat, atque is, si aliae probationes deficiant, ad iusiurandum sit admittendus.<sup>i)</sup> Quodsi denunciatus iurasset, ea, quae ad iudicem detulit, esse vera, etiam iure Saxonico reo imponebatur necessitas, innocentiam iuramento purgatorio demonstrandi.<sup>k)</sup> Cum vero iudices in decernendis iuramentis sibi contrariis legum auctoritatem fuerint secuti, doli

g) Leyserus in *Specim.* 121 *Med. 3 seq.* et Elaias Pufendorfius in *Introduct.* in *Process. civil. Elector. Brunsv. Luneburg. Part. 3. cap. 3. §. 10.* iam observant, earum usum ob metum periurii in variis terris esse abrogatum. Ego vero Illustr. Iul. Friderico Malblanco prorsus assentior, qui in *Doftrin. de iureiurand. Libr. 4. §. 112* monet, hac quidem consuetudine viam parari manifestis periuriis.

h) Idem constitutum est in *Ordinat. pac. publ. Wormat. de 1521 Tit. 7. §. 8.* et in *Ordinat. cameral. de 1555. Part. 2. Tit. 10. §. 1.*

i) Conferenda hic erit Gottfr. Ludov. Menckenii *differtatio*, quae exhibet *observationes circa processum Saxonicum*, quo causae iniuriarum peraguntur, Vitembergae 1720 edita, in qua, quomodo secundum *Mandarum excitatum* in processu denunciatorio omnia sint peragenda, luculenter exposuit.

k) Confer *Rescriptum* d. 7. Mart. 1716. in *Cod. Augst. Tom. I. p. 1855 seqq.*

doli vel culpa argui haud debent. Huc accedit, quod non eo consilio eiusmodi iuramenta decreverint, ac si partes ad eadem praestanda vi essent adigendae, sed potius earum arbitrio ac religioni permiserint, num facultate iurandi permessa uti vellent. Praestitis vero eiusmodi iuramentis, varii iidemque insignes effectus inde orti sunt.<sup>l)</sup> Etenim primo non est dubium, quin ita res dubia fuerit decisa, ut ideo et quaestio de commisso delicto iureiurando finita, si haud nova emergant indicia, haud sit renovanda.<sup>m)</sup> Deinde id, quod iuratum est, quia satis probatum esse videtur, pro vero erit habendum.<sup>n)</sup> Hinc nec denunciatus temere vel ex calumnia crimen detulisse, nec denunciatus illud admisisse videtur. Porro expensae cum iudiciales, tum extraiudiciales erunt compensandae.<sup>o)</sup>

His quidem praemissis, nunc ad eam, cuius supra mentionem feci, Constitutionem Saxoniam redeo. Hanc vero ipsa aequitas suavisse videtur. Etenim virtus iuramentorum primaria in eo consistit, ut cum veritate conspirent atque iustitiae inserviant.<sup>p)</sup> Sed cum iuramenta contraria sibi vicissim repugnent, atque id, quo uno asseritur, altero tollatur, sequitur, ut ea fini iustitiae consequendo haud sint consentanea, sed potius iisdem via periuriis aperiatur. Est vero iudicis religiosi officium, maximam dare operam, ut periuria caveantur.<sup>q)</sup> Ea quoque

l) De variis effectibus et viribus iuramenti scitu necessaria tradit Ierem. Setferus de *iurament. Libr. 1. c. 25.*

m) L. 2. D. de iureiur.

n) L. 11. §. 3. D. Tit. excitar.

o) Ita quoque sancit *Decis. 38 de 1746.* Recte tamen Illustr. Banerus in *den Erläuterungen der Churf. Sächs. Decisionen im Zweyten Theil p. 285* monet, tunc reum in expensas esse condemnandum, si is quodammodo gravatus sit et denunciatus veritatem assertorum iureiurando confirmaverit.

p) Huc pertinet c. 2. C. 22. q. 2: *animadvertendum est, quod iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium atque iustitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit iuramentum, sed periurium.*

q) L. 2. C. de indict. viduit. Novell. 22. c. 43.



quoque de causa iam ius Romanum, si in causa civili pars parti iusiurandum defert, iudicis arbitrio cognitionem permittit, num iuramentum sit praestandum, nec ne, quomodo formula iurisiurandi sit concipienda, et quomodo controversiae de praestatione iuramenti delati vel relati obortae sint dirimendae. Ita enim sanxit Iustinianus in l. 12. §. 1. C. de reb. credit. et iureiur.: sed iuramento illato, cum hoc a partibus factum fuerit et a iudice approbatum, vel ex auctoritate iudicis cuicunque parti illatum: siquidem is, cui imponitur sacramentum, nihil ad hoc fuerit reluctatur, hoc praestetur vel referatur, necessitate ei imponenda, cui iure refertur, relationis sacramentum subire, vel si hoc recusaverit, quasi illato sacramento praestito, causa vel capitulum decidatur, nullo loco provocationi relinquendo. Vlpianus vero in l. 34. §. 5. D. de iureiur. tradit: si de qualitate iuramenti fuerit inter partes dubitatum, conceptio eius in arbitrio indicantis est.<sup>r)</sup> Nec est dubium, quin iudex eum, quem peieraturum videt, a iureiurando arcere debeat, licet iuramentum per rem iudicatam fuerit impositum, vel reservatum. Magna quidem est rei iudicatae auctoritas, sed iis tamen limitibus circumscripta, ut licentiam peccandi vel delinquendi laud contineat.<sup>s)</sup> Sed in iuramentis sibi invicem contrariis hoc plerumque accidit incommodi, ut iudex nesciat, quisnam sit vere iuraturus. Licet vero iudex, qui eiusmodi iuramenta praescribit, non id intendat, ut ab utraque parte praestentur; tamen usus vitae quotidianus satis docet, contra intentionem iudicis, saepius iurari contraria. Laudanda igitur est merito Sanctio criminalis nova, in qua iudices iuramenta sibi vicissim repugnantia amplius decernere prohibentur. Iam antea Princeps optimus, qui salutem publicam legibus prudenter conditis maxime amplificat, in Rescripto d. 20 Februar. 1769 ad dicalasteria Vitembergensia emissio consilium de usu iuramentorum magis restringendo

r) Confer Noodii Commentar. ad Digest. Libr. 12. Tit. 2. et Georg. Ludov. Boehmeri Exercitat. de auctoritat. iudic. circa iusiurand. in iudic. delat. et relat. in Elect. iur. civil. Tom. II. p. 651 seqq.

s) Provoco hic ad c. 7 et 9. X. de re iudicat. Adde c. 5. C. 22. q. 4. et Leyseri Specim. 567. Medii. 23. seq.



gendo aperuerat. Quod ut perficeret, postea in Sanctione d. 27 Octobr. 1770 edita §. 14. cavit, ne iudices in posterum amplius iniungant iuramenta sibi invicem contraria. Hanc quidem legem iisdem verbis repetit Sanctio anno 1783 promulgata. Omnes vero iudices in processu denunciatorio hanc sanctionem sequi iubentur, ut ideo nihil intersit, num iudex, ad quem delictum fuit delatum, sit superior, an inferior, ecclesiasticus, an saecularis, civilis, an militaris et num ipse, an dicasterium de eodem statuatur. Sed laudata Sanctio simul declarat, quibus modis cavenda sit iuramenta inter se pugnancia, de quibus nunc quaedam subiungere iuvat.

Secundum *Mandatum de duell.* §. 22, uti supra iam monui, erat denunciante permixtum, si aliis mediis probandi destitueretur, factam iudici denunciationem iureiurando confirmare. Non quidem me fugit, secundum c. 4. X. *de test.* in denunciatione evangelica personam principalem tamquam testem adhiberi posse. Sed eiusmodi denunciatio non eo respicit, ut alter puniatur, neque alium finem, quam fraternam admonitionem atque correctionem intendit. Est vero iuris manifesti, neminem in causa propria, ex qua commodum sperat, vel damnum metuit, testem esse posse. L. 10. D. *de testib.* Sive vero laesus ipse, sive alius denunciaverit, utriusque multum interest, denunciationem haberi pro vera, ut bonam existimationem conservet integram et ne in odium calumniatoris incidat, vel obtemeritatem in expensas condemnatur. Inde vero sequitur, ut ea fides, quae alias testi idoneo habetur, denunciante haud sit tribuenda.<sup>2)</sup> Sapienter igitur Sanctio criminalis saepe excitata haec praecipit: *dahingegen alle Eyder-Leistungen wie des Denuncianten, also auch des Denuncianten, schlechterdings bis zum hauptsächlichsten Erkenntniß anzusetzen.* In hac re saepius peccare iudices atque delictorum delatores confestim admittere adiuramenta temeraria, quotidie animadvertere soleo. Hoc quidem certum est,

2) Confer Hommellii *Rhapsod. Observat.* 211 sub voc. *denunc.*



est, eum, qui legibus testis esse prohibetur, etiam tunc, si delictum denunciat, in reum vero nulla cadit mala suspicio, ad iuram denunciationis asseverationem haud esse admittendum. Vti vero iudex in testibus explorandis potissimum eorum vitam et mores confiderat; ita et pari studio virtutes vel vitia denunciantis observare debet, ut, quaenam fides eidem habenda sit, certius constet. Si appareat, denunciationem ab odio et ira denunciantis esse profectam, vel, si denuncians de periurio sit suspectus, reus vero delictum neget, is quidem erit absolvendus et denuncians tamquam calumniator in expensas condemnandus.<sup>n)</sup> Accidit vero saepenumero, ut nullum aliud probandi medium quam iuram assertionem iudici offerant. Fac, utrumque, cum denunciantem, tum denunciatum esse vitae integrae moribusque honestis praeditum, denunciatum quoque mali suspicione haud premi, tunc vero denunciato iuramentum assertorium iniungendum esse puto, quo quidem praestito, compensatis expensis, erit absolvendus. Si contra reum adsit quaedam suspicio levior, satius erit, eum ab instantia absolvere, quod quidem vulgo fieri solet ista formula: *nach der Zeit und in Mangel mehrern Verdachts,*<sup>x)</sup> ita tamen, ut expensas ferre cogatur. Debet scilicet iudex magis esse propensus ad absolvendum, quam ad condemnandum, cum maius damnum sentiat respublica, si innocens condemnatur, quam si nocens absolvitur. Huc pertinet l. 5. D. de poen. ubi Ulpianus: *sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari, D. Traianus Affiduo Severo rescripsit: satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.* Aliud remedium cavendi iuramenta contraria in eo consistit, ut tantum reo, qui gravi suspi-

n) Confer Dider. Hermann. Kemmerichii *dissert. de denunciat. iniur. Saxon.* §. 3. seq.

x) Boehmerus ad Carpzovium *Quaest.* 116. *Observat.* 6. formulam ita concipit: *daß wider Inculpaten, im Mangel hinlänglicher Anzeigen, vor der Hand nichts weiters vorzunehmen, inzwischen die Acta verewhrlich hinzulegen und auf sein Leben und Wandel genaue Aufsicht zu haben, simulque utilitatem eiusdem ostendit.*



suspicionem laborat, iniungatur iusiurandum purgatorium, cuius quidem origo non a iure pontificio, sed a moribus gentium Germanicarum innocentiam iudicio Dei demonstrandi, est repetenda.<sup>a)</sup> Sed et hic iudex varias cautiones adhibere debet, ut evitentur iuramenta vana, inutilia ac temeraria. Hinc magna cura omnia argumenta, quae vel pro reo, vel contra eum faciunt, erunt ponderanda atque diligenter inter se conferenda, ne ob suspensionem levem quis purgatorio gravetur.<sup>b)</sup> Huic iusiurando plerumque tunc, quando probatio delicti exstat semiplena minor, locus relinquitur. Inde vero sequitur, ut illud haud decernendum sit, si reus sinistram suspensionem argumentis probabilibus ita minuerit, ut fere tota evanescat.<sup>c)</sup> Quodsi vero a reo metuendum sit periurium, religio iudicis facultatem iurandi haud permittet. Certe iudex honestatis studiosus summo cavebit studio, ne aliis occasionem delinquendi praebeat.<sup>d)</sup> Non vero est dubium, quin reus, haud levi suspicionem gravatus, modo de veritate commissi delicti satis constet, poena coerceri possit extraordinaria. L. 54. C. ad leg. Iul. de adulter.<sup>e)</sup>

B 2

Sive

- a) Hoc dudum monuit Boehmerus in *dissert. de usu iurament. purgator. in criminal.* §. 8 *seqq.* Adde Heineccii *Element. iur. German.* Libr. 3. Tit. 9. §. 354. Antiquissimum eius usum in Germania praesae leges satis ostendunt, ex quibus hic nominasse sufficit *Leg. Sal. Tit. 76 et leg. Ripuar. Tit. 9.* Postea eundem auxit ius pontificium. C. 10 *seqq.* X. de purgat. canon.
- b) Illustriss. Comes de Soden im *Geist der peinlichen Gesetzgebung Teutschlands* §. 654 *seq.* statuit, talem suspensionem ad decernendum purgatorium esse necessariam, qualis quartam saltem partem probationis plenae efficiat. In delictis gravioribus, quibus poena capitalis vel corporis afflictiva imminet, eiusmodi iuramentum, ob metum periurii, non esse imponendum, iam dudum monere alii. Confer Illustr. Christian. Gottlieb. Gmelinii *Grundsätze der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen.* §. 246.
- a) Adde van de Water *Observat. iur. Roman.* Libr. 2. c. 10.
- b) c. 5. C. 22. q. 4. Conferatur Godofred. Suevi *dissert. de iudic. circa vitand. periur. provid. thes.* 33.
- c) Haec opinionem sequuntur plerique iuris criminalis magistri. Confer Carpzöv. *Pract. rer. criminal.* Quaest. 116, 49 *seqq.* Boehmer.



Sive vero iudex reo tantum iuramentum assertorium vel purgatorium imposuerit, sive eundem ab instantia absolverit, vel quoque poenam extraordinariam statuerit, his quidem viis rem semper ita commode expediet, ut caveat iuramenta sibi contraria. Sed plura addere vetat temporis brevitās. Accedo potius ad

Candidatum praenobilissimum atque doctissimum,  
IOANNEM GODOFREDVM MOESSLERVM,  
*Tenstadiensē,*

qui ab ordine nostro summos in utroque iure honores humanissime sibi expetiit. De vita sua ipse haec exponit:

*Natus sum Tenstadiae anno LXX. huius saeculi, patre CHRISTIANO LVDOVICO MOESSLERO, senatorio munere ibidem fungente, matre ANNA BARBARA, e gente PFAFFIANA, parentibus, qui maxima omnino pietate colantur, vitaeque felicissima diutissime fruuntur laeti, dignissimis. Prima litterarum elementa Tenstadiae VV. Nobill. RATZ, IOHN, RVPPRECHT, b. TOPF atque b. HARNISCH, Mulhusae autem VV. Praenobill. b. GEORGI, STÜLER et V. Venerab. KOENIG, praeceptores omnes gratissima memoria semper colendi, tradiderunt.*

*Anno*

mer. dissert. de usu iurament. purgator. in criminal. §. 27. inprimis vero Quistorpii rechtliches Gutachten, wie in Ermangelung eines vollständigen Beweises, wider einen Angeschuldigten, bey vorhandenen gemässen Verdacht, zu verfahren sey, atque eiusdem Beyträge zur Erläuterung verschiedener Rechts-Materien No. 54. p. 847.



Anno huius saeculi LXXXVIII. die IV. Maii Lipsiae,  
Reſtore Magnif. ERNESTO PLATNERO, paulo poſt,  
fato ductus ſingulari, eodem menſe Vitebergae, Viro Ill.  
CHRISTIANO GOTTLIEB HOMMELIO faſces Academi-  
cos tenente, in album litterariae Reipublicae receptus ſum.  
Hoc autem loco Viri Clariffimi atque Excellentiffimi b.  
HILLER, b. TITIVS, SCHROECKH, EBERT, MEERHEIM,  
SCHMID, ASSMANN, HENRICI, DRASDO et b. IAENI-  
CHEN, praecipue quoque Vir ſumme Venerab. REINHARDVS  
in ſcientiis philoſophicis, mathematicis, hiſtoricis, philolo-  
gicis et antiquitatibus me erudierunt; in Iuriſprudentia ve-  
ro, cui, patre volente, operam dicavi eam, quam olim  
ſcientiae ſacrae dedicare propoſueram, Virorum Illu-  
ſtrum atque Iureconſultiſſimorum, WIESANDII, b. PAV-  
LI, KLÜGELII, HOMMELII, WERNSDORFII, STÜBE-  
LII, Reſtoris h.t. Magnifici, SCHLOCKWERDERI, MEN-  
CKENII, WILISCHII, b. TRILLERI, GREBELII, KOHL-  
SCHÜTTERI, nec non VHlichii, eruditione egregia  
praeſtantiſſimaeque uſus ſum. Theſibus quibusdam, Praeſi-  
de Ill. KLÜGELIO publice deſenſis, ao. LXXXXII exa-  
men pro praxi et, poſtquam eodem anno qua Notarius  
immatriculatus, ſequenti Viro Perilluſtri HENRICO





FERDINANDO AB HOFWALD, socius studiorum adiun-  
 ctus, et ao. LXXXXV. Termino Erhardi ab Illustri Curia  
 Provinciali Vitebergensi, munere vice Aduarii, postea vero  
 ordinarii, ornatus eram, eodem hoc anno examen pro candi-  
 datura nec non, quod rigorosum vocari solet, feliciter subi.  
 Tandem quoque anno LXXXXVI. in numerum Advoc-  
 atorū receptus, atque sequenti curriculi academici Viro  
 Generosiss. atque Dilectissimo ADOLPHO FRIDERICO DE  
 MILKAV comes electus sum. Eodem anno Elementa iuris  
 civilis atque Institutiones iuris criminalis Lipsiae, anno  
 vero praeterito Systematis actionum forensium Part. I<sup>am</sup>  
 Erfordiae edidi, variaque alia, fortuna favente in poste-  
 rum edenda, elaboravi. Plerumque vitam laboriosam po-  
 tius, quam otiosam, fortuna dedit agendam, variaque vo-  
 tis expertus sum contraria; praecipue quoque oculorum non  
 possum non accusare difficultatem atque repugnantiam val-  
 de ingratam, quippe qui saepius impedivere, quo minus  
 primo quoque adpectu et e longinquo, uti plures expectant,  
 SUPERIORIBVS reverentiam debitumque honorem tribue-  
 re, FAVORIBVS animum obstrictissimum gratissimumque  
 vultu quoque gestuque demonstrare, AMICIS denique ami-  
 cum semper eundem me praebere potuerim; cum tamen, re-  
 vereri

*vereri SUPERIORES quacunq[ue] submissione decenti debita-  
que obedientia, venerari animo obstrictissimo gratissimoque  
FAVTORES, colere AMICOS constanter atque sincere, nec  
aequales aut inferiores parvi aestimare, curae cordique  
mihi semper maxime fuisse, esse atque fore, adfirmare  
possim sanctissime. Hoc unum iam restat, memorare nomi-  
na MAECENATVM FAVORVMque praeclarissima, quae  
praeterire nefas omnino foret. Itaque summam SERE-  
NISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXO-  
NIAE clementiam, eximiam ILLUSTRIS IVRECONSVL-  
TORVM Viteb. ORDINIS munificentiam, maximam Per-  
illustr. et Generosi. C. G. W. AB HOEWALD, Ill. WIE-  
SANDII KLÜGELIIque benevolentiam, singularem denique  
multorum aliorum VIRORVM CLARISSIMORVM favorem,  
animo devotissimo, obstrictissimo, gratissimoque praedicare,  
mentem beneficiorum omnium perpetuo memorem, erga po-  
steros quoque superstitem, stipulata quasi manu promittere,  
omneque felicitatis genus et largissima bene meritorum prae-  
mia adprecari, me iubet religio.*

Noster vero Candidatus in utroque examine ad quaestiones  
propositas ita respondit, ut eum summis in utroque honoribus  
dignissimum iudicemus. His rite consequendis, futuro die Io-  
vis, Serenissimi PRINCIPIS ELECTORIS indulgentia,  
sine



sine praefide, dissertationem inauguralem *de interdictis ordinariis atque summariis, nec non de interdictorum processu*, publice defensurus est. Hunc actum sollemnem ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, omnesque divinae atque humanae sapientiae DOCTORES, nec non GENEROSSIMI atque NOBILISSIMI ACADEMIAE CIVES honorifica praesentia ornare velint, cum meo, tum Ordinis mei nomine, ea, qua par est, humanitate rogo. P. P. Dom. VIII post Fest. Trinitat. A. R. S. c1o1oCCLXXXVIII.

---

VITEMBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

---

Wittenberg, Diss; 1799-1801







NIS IVRIDICI

1799

6

IN

VITEMBERGENSI

II. T.

ECANVS

IVS STEPHANVS

ESANDIVS

INCIPI ELECTORI SAXONIAE  
IMI PROVOCATIONVM SENATVS  
FESSOR PVBLICVS FACVLTATIS  
ARIVS CONSISTORII ECCLESIA-  
R CVRIAE PROVINCIALIS ET  
NATVS ASSESSOR

ENEVOLO SALVTEM.